124930

REGIÆ MAJESTATIS BORUSSICÆ
LITTERAE PATENTES,
QVIBVS
NOVA REI JVDICIARIAE
TAM SAECVLARIS, QVAM ECCLESIASTICAE
CONSTITVTIO
IN
TERRIS PRVSSIAE
ET
POMERANIAE,
A REGIBVS POLONIAE HVCVSQVE POSSESSIS,
NEC NON IN
TRACTIBVS, CIS AMNEM NOTESIVM,
SEV NOTEZAM SITIS,
AD MAJOREM POLONIAM HVCVSQVE RELATIS,
OMNIBVS NVNC
AB AVGVSTISSIMO BORVSSIAE REGE
OCCVPATIS ET VINDICATIS,
ANNVNCIATVR ET NOTIFICATVR.

DATAE BEROLINI DIE XXVIII. SEPTEMBRIS MDCCLXXII.

TYPIS GEORGII JACOBI DECKERI, TYPOGRAPHI REGII.





FRIDERICVS Dei Gratia Rex Boruſſiæ, Marggravius Brandenburgenſis, Sacri Romani Imperii Camerarius et Princeps Elector, Supremus Sileſiæ Dux, Princeps Supremus Arauſionenſis, Novi Caſtri et Valengiæ, nec non Comitatus Glacenſis, Geldriæ, Magdeburgi, Cliviæ, Juliaci, Montium, Stettini, Pomeraniæ, Caſſubiorum, Vandalorum, et Megapolis, nec non Croſnæ Dux, Burggravius Norimbergenſis, Princeps Halberſtadii, Mindæ, Camini, Vandalii, Suerini, Raceburgi, Oſt-Friſiæ et Murſæ, Comes Hohenzolleræ, Ruppini, Marcæ, Ravensbergi, Hohenſteinii, Tecklenburgi, Suerini, Lingæ, Buræ et Leerdami, Dominus Ravenſteinii, Roſtochii, Stargardæ, Lauenburgi, Butoviæ, Arlayæ et Bredæ, &c. &c. &c.

Significamus omnibus, quorum intereſt, poſtquam legitimi dominii, publica ſcriptione expoſito et demonſtrato jure, detentas hucuſque injuſte a Regibus Poloniæ, et ab avito domus Noſtræ patrimonio vi iniqua avulſas terras Pruſſiæ et Pomeraniæ, nec non ad majorem Poloniam huc uſque relatos diſtrictus, cis amnem Noteſium ſeu Notezam ſitos, nimirum:

1) Warmiam,
2) Mariæburgenſem ditionem,
3) Culmenſem ditionem, diſtrictu Michelovienſi comprehenſo, excepto Thoruno, ejusque territorio,
4) Pomerelliam, ejusque ambitu comprehenſos tractus, cis Noteſium ſeu Notezam flumen ſitos, excepto Gedano, ejusque territorio;

iterum

iterum vindicavimus et occupavimus, præſtitumque jam Nobis eſt, ceu legitimo domino et imperanti a provinciarum et ditionum harum incolis, cujusvis dignitatis et ordinis, ſæcularibus, æque ac eccleſiaſticis, homagium, ac fidelitatis et ſubjectionis juramentum: nullam magis regium Noſtrum animum urgere ſollicitudinem, quam eam, ut efficiamus, quo jus in hiſce Noſtri imperii regionibus in poſterum cuilibet, ſine perſonarum reſpectu et diſcrimine æquum dicatur, et quo provinciæ illæ, Noſtræ dominationi recens ſubjectæ, inſignis ejus felicitatis reddantur participes, qua reliqui Noſtro imperio ſubjecti populi gaudent, ut nimirum judicia exerceantur non modo ſancte et integre, verum remotis quoque omnibus ambagibus, et ea celeritate et feſtinatione, quam accurata cauſarum forenſium diſceptatio patitur, et litigantium expectatio flagitat.

I. Non concedit igitur iſta, quæ Nobis in primis cordi eſt, cura, iſtudque ſtudium juſtitiæ intemeratæ Noſtrum, ut ſubditorum, Noſtram in tutelam et protectionem noviter receptorum vitam, ſalutem, libertatem, fortunas et bona decantatæ omnium querimoniis, et ab ipſis Polonis rerum ſuarum ſcriptoribus atro colore depictæ, judiciorum, huc usque conſtitutorum, violentiæ et tumultuariæ ac perturbatæ procedendi rationi, ab accurata cauſarum dirimendarum via adeo deflectenti et abhorrenti, porro exponi ſinamus; omnia potius, quæ huc usque viguerunt, et hiſce provinciis jus dixerunt, judicia, quocunque nomine uſa fuerint, nimirum judicia terreſtria, judicia caſtrenſia, judicia palatinalia et vice-palatinalia, judicia querularum, judicia capitanealia, judicia arcium, judicia epiſcopalia, judicia capitulorum eccleſiarum cathedralium et collegiatarum, aliaque hujus generis, penitus tollenda et evertenda eſſe, cenſuimus, et vigore hujus ſanctionis tollimus, evertimus et abolemus, iisque omnem jurisdictionem, auctoritatem et poteſtatem abrogamus et adimimus ſine cauſarum diſcrimine, ſive publicæ ſint, ſive privatæ; adeoque omnes etiam provocationes et appellationes ad ſuperiora, quæ hactenus provocationes ab illis receperunt, judicia, ad judicia ſpecialia comitiorum provincialium, ad comitia, quæ vocarunt, particularia, ad conventum generalem, ſeu comitia provinciæ generalia, ad judicium provinciale ſuperius, ad Tribunalia Poloniæ, extra provincias haſce conſtituta, nimirum ad Tribunal, quod Petricoviæ ſedem habet ſuam, ad judicia aſſeſſorialia, ad judicia relationum, ad aulam et conſiſtorium Regum Poloniæ, ſponte ultroque ceſſant et expirant, easque penitus abolemus, abrogamus, vetamus et prohibemus.

II. Ob eandem rationem ſubditos, Noſtro imperio noviter ſubjectos, eorumque vitam, famam, libertatem, ſecuritatem, patrimonium, fortunas eo periculo et diſcrimine liberare conſtituimus, in quo ob legum juriumque, huc usque in hiſce regionibus uſu vigentium obſcuritatem, incertamque et mancam rationem verſabantur, et in quod per turbulentum perverſumque judiciorum ſtatum et procedendi modum quotidie adducebantur. Omnes igitur, quæ huc usque in hiſce provinciis et ditionibus, Noſtro recens adjectis regno, viguerunt, uſuque obtinuerunt leges, omnesque conſtitutiones et ſanctiones, quibus vel ipſa civium jura, vel negotiorum et actuum civilium forma et ſolemnitates, vel ordo judiciarius definiuntur et præſcribuntur, a die publicationis patentium harum litterarum, earumque virtute, penitus abolemus, abrogamus, proſcribimus, et intuitu futurorum, quæ in poſterum ab hoc inde die ſuſcipiuntur et expediuntur, negotiorum, omni auctoritate, valore, et obligandi poteſtate privamus et denudamus.

III. In locum vero horum jurium abolitorum ſurrogamus & ſubſtituimus eas leges, conſtitutiones, ſanctiones, eaque jura, eumque judiciorum & proceſſus forenſis ordinem, quibus Regnum Noſtrum Boruſſiæ huc usque uſum fuit, idque eo convenientius aptiusque judicavimus, quo conſultum magis & naturale Nobis videtur, provincias & ditiones, nunc vindicatas à Nobis & occupatas iis in poſterum regi legibus, quibus olim jam illarum pleræque uſæ fuerunt, cum adhuc partem conſtituerent Regni illius, cui nunc denuo uniuntur & incorporantur.

Eadem

Eadem igitur Regni Borussiæ jura, eandemque administrationis rei publicæ rationem, quæ in illo obtinent, in acquisitis & recuperatis recens ditionibus etiam, certis tamen sub modificationibus & definitionibus, introducimus & stabilimus, eamque normam & regulam unice a novis subditis observari jubemus.

IV. Quum igitur ad fundamenta administrationis imperii Nostri referatur & pertineat ratio illa, ut illius partes distincte separentur, adeoque redituum omnium publicorum, fisci ærariique cura, politiæ universæ moderamen, & totius œconomiæ publicæ directio collegiis Nostris cameralibus & domanialibus universim, speciatim vero certis & particularibus, quas vocant commissionibus & deputationibus, pro rerum diversitate nomen inde proprium sortientibus, demandentur & delegentur: pertinent etiam & perpetuo in ditionibus hisce occupatis pertinebunt, juxta fundamentalem Nostram & pragmaticam sanctionem ea de re die XIX. Junii, Anni MDCCXLIX. promulgatam, ad curam, administrationem, moderamen, jurisdictionem collegiorum Nostrorum domanialium & cameralium causæ & res, sequenti enumeratæ & recensitæ indice:

I. Tributa & collationes, harumque distributio, exactio, peræquatio, &c.
II. Vectigalia & portoria.
III. Accisiæ.
IV. Nemora regia ac sylvæ domaniales, venatio in iis, ejusque emolumenta.
V. Cursus publicus, seu Postæ.
VI. Res monetaria.
VII. Res metallicæ, & proventus metallifodinarum.
VIII. Salinæ, & salis vendendi ratio.
IX. Monopolium regium Tabaci, seu herbæ nicotianæ.
X. Charta signata, & chartæ lusoriæ signatæ, earumque monopolium.
XI. Moderamen & regimen ac inspectio omnium artium, opificiorum, negotiationum, tribuum & collegiorum opificum.
XII. Fabricæ, textrinæ, artificia & opera manuaria.
XIII. Commercia terrestria & maritima, eorumque varia genera.
XIV. Societates assecurationum.
XV. Coloniarum institutio, & agrorum desertorum cultura, colonorum deductio, collocatio.
XVI. Viæ publicæ & pontes.
XVII. Fossarum purgatio & detersio, & rivorum refectio.
XVIII. Aquæ libere profluentis procuratio, aggeres.
XIX. Navigatio maritima, nec non in canalibus, fluminibus publicis, rivis &c.
XX. Incendiorum avertendorum & restinguendorum media.
XXI. Platearum, Stratarum & straturæ seu pavimentorum refectio, conservatio.
XXII. Fora publica.
XXIII. Fontes & aquæductus, putei, fistulæ.
XXIV. Lucernæ nocturnæ et lampades urbium, illustrationis et securitatis causa institutæ.
XXV. Taxæ panis et carnis venalis.
XXVI. Mensurarum, ulnæ et ponderum constitutio.
XXVII. Reditus civitatum regiarum, earumque, et omnium municipiorum æraria, horumque bona, reditus.
XXVIII. Res omnis cerevisiaria, cerevisiæque coquendæ et divendendæ ratio, quæstus et politia in civitatibus.
XXIX. Aquarum ardentium, et vini adusti quæstus in civitatibus.
XXX. Rei militaris procurationes circa itinera militum et exercitus, circa metata et hospitationes militum, circa salgamum et epidemetica, annonam militarem et commeatum, angarias et parangarias, circa pabuli, fœni, frumenti in horreis militaribus inferendi et condendi rationem.

V. Reliquas vero omnes publicæ adminiſtrationis partes, et cæteras res cauſasque tam civiles, quam eccleſiaſticas, quarum cura et moderamen in Boruſſiæ regno ad Regimen, ad Tribunal, ad judicium aulicum, tam in civilibus, quam in criminalibus, porro ad Collegium Pupillare, ad Conſiſtorium, Regiomonti ſedem habentia, ſpectat et pertinet, ſive illæ ab ipſis hisce collegiis, ſive ſub eorum auctoritate et directione a piis corporibus, magiſtratibus et judiciis inferioribus procurentur et adminiſtrentur, demandamus, committimus et delegamus in provinciis et ditionibus, ſub Noſtram recens redactis dominationem, *Judicio ſupremo aulico et provinciali*, quod in urbe Inſulæ Marianæ inſtituimus et ordinavimus, eique omnem auctoritatem, poteſtatem, jurisdictionem tribuimus, qua dicta Regni Boruſſiæ Collegia gaudent, ea quidem ratione, eoque modo, ut *Judicium hocce ſupremum aulicum et provinciale* a Nobis inſtitutum, Nobis et Noſtro ſanctiori ſtatus conſilio, ejusque variis pro cauſarum et negotiorum differentia curiis, nec non ſuperioribus, quæ Berolini ſedem habent, Collegiis pareat, ſubſit, et unice ac immediate ſubordinatum exiſtimetur.

VI. Hoc proinde *Judicium ſupremum aulicum et provinciale*, in urbe *Marianæ inſulæ* conſtitutum, omnia in vindicatis hiſce ditionibus negotia publica expediet, ſummi imperii et ſuperioritatis territorialis partes adminiſtrabit, Regalium et inprimis jurium Noſtrorum circa ſacra procuratione fungetur, omniumque eorum publicæ adminiſtrationis momentorum curam habebit, quæ ſecundum ſanctionem pragmaticam die XIX. Junii A. MDCCXLIX. promulgatam, Collegiis Regiminis et juſtitiæ ſuperioribus, in Noſtris ditionibus univerſim, ſpeciatim vero in Boruſſiæ Regno ſupremo Regiminis Senatui delegata et attributa ſunt. Eo, exempli gratia, ſpectant litterarum cum vicinis in negotiis ditionum vindicatarum publicis commercium, cura limitum publicorum, tuitio et moderamen libertatis conſcientiæ et cultus publici, ſecundum cujuslibet de rebus divinis animi ſenſum; rectio et gubernatio cleri univerſim; cautio et vigilans proviſio, ne ex ſacerdotum moliminibus res publica detrimenti quid capiat, neve ſine hujus, ad adminiſtrationem Noſtra vice ſummi imperii a Nobis inſtituti Dicaſterii ſupremi ſcientia veniaque et conſenſu ulla vel Pontificis Romani, vel Epiſcoporum conſtitutio, Bulla ac ſanctio promulgetur ac divulgetur.

VII. Præter hæc ſuprema ſacrorum jura, quæ Nobis, tanquam Imperanti et Principi competunt, et quorum curam huic dicaſterio ſupra demandavimus, eidem quoque earum rerum auctoritatem et procurationem delegamus, quæ in imperii Noſtri provinciis Conſiſtoriis eccleſiaſticis concreditæ ſunt atque commiſſæ. Catholicis quidem et Romana colentibus ſacra jurisdictionem eccleſiaſticam, quam hucusque habuerunt, pro ea, qua in eos ſumus indulgentia, hac tamen ſub reſtrictione et modificatione clementer ſervamus atque permittimus, ut hæc ſolis in cauſis vere eccleſiaſticis et ſacris exerceri queat, nec ad cauſas civiles et ſæculares, clericum licet, vel clericorum reditus, decimas, jus patronatus, vel alias ejusmodi res profanas, ſed religionis obtentu ad eccleſiæ tribunalia pertractas concernentes ac reſpicientes, nec ad crimina et delicta, quamvis ſpecie eccleſiaſtica indaganda et punienda, extendatur.

Negotia contra eccleſiaſtica eorum, qui Evangelicæ religioni, ſive Lutheranæ, ſive ſic vocatæ Reformatæ addicti ſunt, omnemque in illorum cauſis jurisdictionem, Conſiſtoriis vulgo tributam, procurabit et adminiſtrabit intra ditionum noviter vindicatarum ambitum iſtud, quod ordinavimus, *ſupremum Judicium aulicum et provinciale*, cujus ideo conſortio adhuc ſæculares et eccleſiaſticos adjungere conſiliarios conſiſtoriales conſtituimus.

Cauſarum matrimonialium, quæ inter conjuges utrinque catholicos diſceptantur, cognoſcendarum et dirimendarum poteſtatem permittimus et indulgemus judiciis catholicorum eccleſiaſticis.

Quod ſi vero uterque, vel alter conjugum ſacris evangelicis addictus ſit, alter autem caſtra pontificia ſequatur, tunc lites et controverſiæ matrimoniales illorum, earumque diſceptatio, et cognitio pertinent ad judicia harum perſonarum

civilia

civilia, ordinaria, nec ad ipsum istud supremum harum provinciarum Judicium pertrahi aliter possunt, nisi personæ et conjuges in civilibus proxime ejus subsint jurisdictioni. Similiter actiones ex sponsalium pactione, sine discrimine religionis, coram ordinariis et civilibus judiciis intentari oportet, atque institui, nec illas alibi proponere, nec admittere licet.

VIII. Quum porro *supremum* hoc *Judicium aulicum* et *provinciale* eo potissimum consilio institutum sit, ut in ditionibus vindicatis vice Nostra jus dicat: illi omnia injungimus munia, queis suprema in Nostro imperio justitiæ Collegia et dicasteria funguntur, nimirum:

1) Jurisdictionis civilis administrationem.
2) Jurisdictionis criminalis exercitium.
3) Supremam tutelam, omniumque rerum pupillarium rectionem et moderamen.

IX. Illa vero munia sese potissimum exserunt, et principaliter versantur,

I. circa rectionem, intensionem, inspectionem et moderamen omnium in hisce ditionibus judiciorum et judicum, eorumque justitiæ administrationis.

II. Circa supremam et propriam, quæ illi a Nobis demandata est, jurisdictionem exercendam et administrandam.

X. Abolitis vero omnibus supra judiciis, quæ huc usque in ditionibus nuper occupatis viguerunt, et abrogata illis et ademta omni jurisdictione, hæc sub Dicasterii Nostri supremi moderamine et inspectione nunc restat quidem, et servatur

I. nobilibus, et prædiorum equestrium possessoribus, qui patrimonialem et prædiatoriam jurisdictionem legitimo titulo adquisiverunt, et in rusticos aliosque, qui ibi commorantur, homines ex legitimo titulo hactenus exercuerunt.

II. Magistratibus municipiorum et urbium, justa jurisdictionis possessione munitis atque gaudentibus.

His quippe, si legitimum adquisitionis et possessionis titulum edere et docere valent, jurisdictionem hac sanctione confirmamus atque adserimus.

Quemadmodum vero juris dicundi munus, secundum constantem et perpetuam Nostram voluntatem et administrationis legem perpetuam, non nisi illis concredi et demandari potest, qui legitimo juris studio eam sibi legum scientiam comparaverunt, quam ardui hujus officii ratio efflagitat, quique publico examine luculenta ejus specimina ediderunt, et ad munus, quod ambiunt, idonei et habiles judicati fuerunt: ita nobilibus jurisdictione patrimoniali præditis, sub pœna privationis et amissionis, incumbit, ejus administrationem et curam non nisi tali delegare judici ac justitiario, cujus doctrina legitimo examine explorata et sufficiens judicata, et cujus fides peculiari ad justitiæ administrationem sacramento adstricta est. In civitatibus et municipiis autem jurisdictionis exercitium et juris dicundi munus non nisi juris peritis magistratuum membris, speciatim huic officio destinatis, Consulibus quippe, Assessoribus, Syndicis, Secretariis, Actuariis demandari oportet, qui suam doctrinam et juris scientiam, suamque ad tale munus habilitatem Dicasterio Nostro supremo, examine et scrutinio prævio, satis probaverunt, confirmationem a Nobis impetraverunt, et fidem suam ad juris dicundi munus speciali sacramento obstrinxerunt.

Intuitu omnium vero aliarum personarum, rerum et causarum, neque prædiatoriæ nobilium, neque magistratuum municipalium jurisdictioni subjectarum et obnoxiarum constituimus et decrevimus, talia in ditionibus recens occupatis ordinare judicia, *supremo Nostro judicio aulico et provinciali subordinanda*, qualia jam in Borussiæ regno instituta sunt. Quibus quidem, pro ditionum amplitudine et indigentia numero satis sufficiente instituendis judiciis subordinatis in causis realibus et personalibus jurisdictionem tribuemus et delegabimus illam, quam huc usque judicia supra Nobis dissoluta et abolita exercuerunt. Interea vero

)(4 eam

eam a supremo Dicasterio exercendam et administrandam curabimus, id quod causas vel ipsum instruet, et suæ vindicabit cognitioni, vel commissariis delegabit, prout ipsi commodum visum fuerit, vel alia ratione instruendas mandabit.

Omnia hæc, a Nobis confirmata nunc & stabilita non solum, sed in posterum quoque instituenda judicia *supremi judicii Nostri aulici & provincialis* inspectioni & directioni subsunt, idque providere & vigilare debet omni intentione & rigore, quo ab illis cuivis jus sancte & integre, omnium partium studio & personarum respectu procul habito, absque gratia vel odio dicatur. Quod si igitur quis de justitia ipsi denegata, vel lentius justo administrata, protelata, vel perversa conquerendi ansam causamque habere putet, is medelam auxiliumque ab hoc Dicasterio provinciali flagitare & obtinere debet. Huic vero incumbit, querelis ejusmiodi præbere aurem, illis medelam, explorata earum causa, adferre, judicia inferiora officii admonere, excitare, in rectum, si ab eo deflexerint, tramitem reducere, illisque legitimam causæ instruendæ & disceptandæ rationem, viamque monstrare. Judicia inferiora vero tenentur, ejus jussibus, mandatis, admonitionibus, præscriptisque normis sine tergiversatione obsequi & obtemperare. Quicunque judices jussibus & mandatis illius morem gerere & obsequi detrectaverint, vel illis obniti ausi fuerint, severe & omni rigore plectentur, & pro pervicaciæ & obstinationis ratione jurisdictione vel munere privabuntur.

Horum vero judiciorum, Dicasterio supremo subjectorum jurisdictio & competentia intuitu personarum, coram illis forum suum sortientium, *in civilibus causis* hac definitur regula, ut in causis personalibus status & dignitatis & conditionis personarum litigantium habeatur ratio, in realibus vero causis forum rei sitæ absque personarum & dignitatis & status discrimine actori sequendum & eligendum sit, nec possessoris & domini, ejusque conditionis ulla in talibus causis ratio haberi possit.

Jurisdictioni igitur magistratuum municipali, vel nobilium prædiatoriæ non subsunt, sed ea penitus exemti censentur, qui vel ob natalium splendorem, vel ob status dignationem, vel ob muneris & officii honorem singulari privilegio fori, seu foro privilegiario gaudent.

Illo vero fori privilegio gaudent, & illius virtute jurisdictione nobilium patrimoniali & municipali magistratuum exemtæ, secundum nostrorum judiciorum rationes, existimantur personæ potissimum sequentes:

a) omnes milites, & militaribus fungentes muneribus, cujuscunque ordinis & gradus, qui quippe in militari foro conveniendi sunt.

b) Omnes officiales Nostri civiles, muneribus ac officiis fungentes Nostris, vel honorum titulis a Nobis condecorati, qui in personalibus causis non nisi coram Nostris tribunalibus & dicasteriis conveniri possunt, & litem suscipere tenentur.

c) Omnes nobilitatis superioris & inferioris personæ.

d) Omnes universim sacerdotes & clerici, cuicunque sint addicti religioni & cultui.

Intuitu nobilium quidem & clericorum suo tempore specialius adhuc definiendi Nobis reservamus arbitrium, utrum & quatenus harum personarum exemtarum nonnullas judiciis adhuc a Nobis instituendis, & Dicasterio supremo submittendis particularibus, horumque jurisdictioni subjicere & commendare, & hisce potestatem juris dicundi in illarum causis tribuere & impertiri velimus. Interea illarum in favorem hanc stabilimus regulam, supra jam propositam: ejusmodi personas natalium vel status, vel muneris sacri virtute foro gaudentes privilegiario & principali ac immediato, non nisi Nostris judiciis subjectas & omni nobilium jurisdictione patrimoniali, & magistratuum potestate in causis personalibus prorsus & perpetuo exemtas fore & solutas.

Quod causarum qualitatem attinet, judices & magistratus propria & patrimoniali jurisdictione præditi sese omnium illarum causarum cognitione & tractatione abstinere debent, quæ secundum fundamentalem Nostræ administratio-

nis

nis legem ad curam & jurisdictionem collegiorum domanialium & cameralium, & specialium cum illis conjunctarum commissionum & curiarum, secundum sanctionem pragmaticam supra allegatam, & Paragraphum IV. harum Litterarum patentium pertinent & referuntur.

Jurisdictionis criminalis exercitium, ob abusus enormes & exorbitantes, qui huc usque grassati sunt, nemini, nisi legitimum & justum acquisitionis & possessionis titulum edere & docere valeat, permittere possumus atque concedere. Ratione fori autem competentiæ eædem regulæ in criminalibus observandæ sunt causis, quæ in civilibus obtinent, adeoque criminalis jurisdictio in illas solummodo personas competere, & exerceri potest, quæ etiam in causis civilibus ejusdem judicis foro & potestati subjectæ sunt. Quod si vero ejusmodi casus inciderint, qui moram non patiuntur, & ubi celeri judicis auxilio opus est, tunc judici ratione delinquentis personæ incompetenti, non nisi apprehensio & incarceratio, nec non prima commissi facinoris notio, seu simplex indagatio, non vero cognitio aut sollemnior & accuratior inquisitio permittitur.

Sed legitimis etiam & competentibus rerum criminalium judicibus, qui jurisdictionis ejusmodi, mixtique imperii rite adquisiti titulum edere & demonstrare valent, illorumque arbitrio vitam, famam, libertatem, securitatemque subditorum Nostrorum committere, eorumque capita talium judicum & magistratuum sententiis subjicere Nobis religioni ducimus. Hisce quidem legitimis rerum criminalium judiciis, justo titulo subnixis, inquisitionem, & processus criminalis instructionem, sed per rite constitutum judicem & scabinos ac assessores minimum duo, sollemni jurejurando adstrictos peragendam & perficiendam, relinquimus & indulgemus. Verum enim vero decisionis & pronunciationis arbitrium & auctoritatem *collegio rerum criminalium* adhuc instituendo reservamus, eaque propter præcipimus atque jubemus, ut judicia illa sese decisione abstineant, actaque inquisitionis rite instructa cum concepta sententiæ formula judicio Nostro supremo aulico & provinciali exhibeant, sententiamque ejus jussu, a collegio ac senatu criminali conceptam, ejusque ulteriora intuitu publicationis & executionis mandata exspectent, iisque sub pœna amittendæ & adimendæ jurisdictionis, strictissime obtemperent.

Nobilem præprimis & arduam administrationis justitiæ & officii judicialis partem constituit *suprema*, quæ omnibus judicibus & magistratibus incumbit pupillorum, impuberum, minorum, amentium *tutela* & *cura*. Verum ejus munia, supine hactenus in hisce ditionibus neglecta penitusque posthabita esse comperimus. Serio & severe igitur ejus officia omnibus inculcamus judiciis & magistratibus, iisque commendamus & imperamus, ut supremæ hujus tutelæ partes in suo quisque suæ jurisdictionis ambitu, & in eas quisque personas accurate & vigilanter exerceat & expleat, quarum parentes ipsius foro pro sua conditione subfuerunt, vel quæ ipsæ sub ejus jurisdictione fundos & prædia possident, & tanquam illorum possessores illius foro subjectæ sunt, & curatore ad illorum administrationem peculiari indigent.

Quicunque judices & magistratus in explendis hujus tutelæ superioris, quæ illis incumbit, muniis segnes extiterint, ejusque partem aliquam vel dolo vel culpa neglexerint, non modo oscitantiæ pœnas luent, verum etiam pupillis & minoribus, damnum inde patientibus ac læsis, omnem in subsidium indemnitatem præstare tenentur & compellentur.

Quo vero quilibet judex & magistratus suo hac in re officio satisfaciat, & quo minoribus atque pupillis eo certius prospiciatur, Dicasterio, quod instituimus, supremo commendamus, & enixe injungimus, ut judicia ipsi subordinata vigilanter ea in re observet, & ad explenda hujus superioris tutelæ munia omni occasione exhortetur atque exstimulet, suisque monitionibus, mandatis, jussibus, quibus illa obtemperare moremque obsequiose gerere tenentur, illa in hac muneris functione dirigat, moderetur, impellat.

XI. Præ-

XI. Præter hanc judiciorum, quæ nunc confirmavimus, & adhuc inſtituemus & ordinabimus, inferiorum inſpectionem, rectionem, obſervationem, quam *ſupremo Noſtro judicio aulico et provinciali* injungimus & tribuimus, ei propriam quoque impertimur jurisdictionem eminentiorem, ejusque ambitu & complexu omnem judiciariæ poteſtatis cumulum contineri volumus atque involvi, exceptis tantummodo illis publicæ adminiſtrationis partibus, muniisque jurisdictionis, quæ

α) vel judiciis ſubordinatis, a Nobis jam ſtabilitis, vel adhuc inſtituendis, vel

β) collegiis domanialibus & cameralibus competunt, atque incumbunt.

Continentur proinde hujus judiciariæ, quam ſupremo dicaſterio impertimur, poteſtatis ambitu omnes illæ

α) *jurisdictionis civilis,*

β) *jurisdictionis criminalis,*

γ) *ſupremæ tutelæ*

partes & functiones, quæ in Boruſſiæ regno *judicio*, quod Regiomonti conſtitutum eſt, *aulico* & *rerum pupillarium Collegio* tributæ ſunt, competunt atque incumbunt.

XII. Sicuti autem *ſupremum*, quod conſtituimus *Judicium aulicum et provinciale* Noſtra vice imperii ſupremi adminiſtrationem exercet, Noſtraque in ditionibus a Nobis vindicatis vice jus dicit: ita eidem ad reliquorum Noſtræ dominationis dicaſteriorum & curiarum ſuperiorum exemplum, poteſtatem largimur, & auctoritatem concedimus, omnia mandata, juſſa, reſcripta, decreta, omnesque ſententias Auguſto Noſtro nomine concipiendi & muniendi, eoque utendi curiæ ſtylo, iisque formulis & titulis, quibus alia Noſtri imperii tribunalia uti conſueverunt. Quumque hocce dicaſterium in jure dicundo & exercendis ſummi imperii partibus Noſtram majeſtatem repræſentet; omnes, qui ei exhibentur & porriguntur libelli ſupplices, relationes, ſcriptiones forenſes Noſtris inſcribi & inſigniri titulis, & ad Noſtram perſonam dirigi debent, id quod non a partibus ſolum, verum a judiciis quoque ſubordinatis obſervari reverentiæ & decori ratio poſtulat.

XIII. Omnia porro negotia, tam in hoc Dicaſterio ſupremo, quam in judiciis ipſi ſubordinatis Teutonica lingua & idiomate Germanico expediri & omnes univerſim libellos, relationes judicum, epiſtolas, decreta, mandata, reſcripta, ſententias, protocolla hoc ſermone concipi jubemus, præcipimus & imperamus. Qui linguæ Germanicæ imperiti ſunt, iis interpretum auxilio ſubveniri debet & conſuli, qui ipſis non modo in conſcribendis libellis, ſed etiam in explicandis ſententiis & mandatis opitulari & operam præſtare ſuam tenentur. Eadem interpretum opera etiam uti judices oportet, ſi in civilibus vel criminalibus cauſis perſonas linguæ Germanicæ ignaras in jure interrogare vel examinare & audire velint. Ubi ejusmodi interpretum fidei exploratæ & ſacramento obſtrictæ copia deficit, ſufficiens eorum numerus procurari debet atque conſtitui.

XIV. Naturalis ſocietatum civilium ratio, ordoque illarum & tranquillitas vetat prohibetque, quo minus quisquam ſibi ipſe jus dicat ſine judice, vimque exerceat privatam. Quicunque igitur Noſtrorum ſubditorum de alterius injuria querendi cauſam habere putat, judicem adeat, ejusque auxilium imploret; quod ſi hujus iniquitate ſe gravatum exiſtimet, judicio ac collegio ſuperiori querimoniam exponat ſuam, & medelam ab illo petat & expectet; quod ſi etiam hujus ſe læſum oppreſſumque injuſtitia arbitretur, nec hujus ſe decretis acquieſcere poſſe credat, rem & querelam deferat ad *ſanctiorem Senatum* & *Miniſterium Noſtrum*, illamque illius curiam, ad quam iſtius cauſæ procuratio pertinet.

Patet quoque ſubditorum Noſtrorum cuivis via ad ſolium Noſtrum, nec ulli unquam audientiam, auxilium, protectionem, tutelamque, modo legitimam

habeat

habeat querendi causam, denegabimus. Verum caveant subditi, ne hac Nostra indulgentia, vel querelarum frivolitate ac temeritate, vel falsitate precum Nobis oblatarum, vel contemtu & præteritione judicis competentis proterve abutantur. Quicunque enim hujus sese temeritatis & audaciæ reos fecerint, illi non modo Nostram indignationem, sed & pœnam, legibus Nostris statutam, eamque severissimam sese incursuros sciant.

XV. Idem fere ordo, eademque gradatio locum habet in impugnandis judiciorum sententiis & litium civilium decisionibus. Judicia inferiora & subordinata pronunciant & suis lites dirimunt sententiis in *prima*, quam vocant, *instantia*. Qui illorum sese decisione gravatum putat, eaque acquiescere sese posse negat, is provocare debet intra tempus fatale legitimum ad judicium supremum nostrum aulicum & provinciale, cujus sententia litem in *secunda* seu appellationis *instantia* decidit. Qui de sententia judicii illius supremi aulici & provincialis adhuc conquerendi causam sese habere arbitratur, is ad extremum revisionis remedium confugere, nisi causæ ratio illud respuat, debet & provocare. *Tertia* hæc *instantia* constituta est coram supremo, quod Berolini sedem habet, *Tribunali*, a quo nulla amplius provocatio est, & cujus sententiis lites omnium Nostræ dominationis provinciarum ultimam, constantem, & rescindi ac emendari nesciam sortiuntur decisionem.

In illis vero causis, quoad decisionem *primæ instantiæ* supremo judicio aulico & provinciali tribuendis & relinquendis, quas constitutis judiciis provincialibus subordinatis & inferioribus, accuratius determinabimus & definituri sumus, *secundæ instantiæ* disceptationem & decisionem Collegio Justitiæ supremo vicinæ provinciæ committendi & demandandi Nobis est consilium & animus, ejusque rei ordinandæ Nobis adhuc arbitrium reservamus. Verum ultima seu *tertia revisionis instantia* Tribunali Berolinensi supremo & generali etiam illis in causis semper adserta manet & vindicata.

Secundum prima & fundamentalia rei Nostræ judiciariæ principia non nisi tres disceptationum gradationes, tresque instantiæ permittuntur, & sententiæ in tertia & extrema pronunciatæ instantia nullo sub obtentu impugnari & retractari queunt.

Sententiæ primæ vel secundæ instantiæ, neglecta provocatione, vim rei judicatæ nactæ & consecutæ ejusdem sunt auctoritatis, omnis retractationis nesciæ.

Nos causarum decisione prorsus abstinemus, nec sanctius Nostrum Consilium ac Ministerium causis judiciali sententia dirimendis sese ingerit & immiscet, adeoque Nostra, ejusque decreta viribus & auctoritate rei judicatæ prorsus destituuntur.

In criminalibus causis non nisi duæ conceduntur instantiæ, & unica permittitur provocatio, *ulterior* dicta *defensio*. Sententiæ utriusque instantiæ sub dicasterii supremi auspiciis & moderamine a Collegii criminalis assessoribus concipi debent.

Sicuti vero vita subditorum & libertas Nobis curæ in primis cordique est; ita illorum nemo capitali pœna, vel corporis adflictiva, ergastuli, vel operis publici perpetui & temporarii adficiendus & adfligendus est, nisi pro delictorum genere & gradu ad Nos, vel ad *sanctiorem Nostrum senatum*, ac *consilium ministrorum status* facta relatione, & probata a Nobis vel ab hoc & confirmata sententia.

XVI. Præter hancce generalem præceptionem et instructionem subditis Nostris, judiciisque provinciarum recens vindicatarum, legum quoque Nostrarum, ordinisque judiciarii brevem et luculentam delineationem et epitomen, quam hisce litteris patentibus sub A. adjungendam curavimus, impertimur, qua unusquisque edoceri potest, quo jure utatur, et quam normam in foro, et in negotiis privatis sequi debeat regulam.

Quem-

Quemadmodum vero leges ad præterita non poſſunt trahi negotia, ſed futuris ſaltim formam præſcribunt: ita ſponte patet, omnes actus, omnes pactiones, conventiones, contractus, pacta nuptialia, teſtamenta, diſpoſitiones, et negotia qualiacunque omnia, ante harum litterarum patentium promulgationem celebrata, inita, condita, et juris intellectu perfecta, ſecundum leges harum ditionum et conſuetudines huc usque obſervatas et uſu vigentes judicari, exigi, æſtimari et cenſeri debere.

Contra vero a die promulgatæ hujus ſanctionis in provinciis et ditionibus vindicatis, et Regno Boruſſiæ adjectis illæ leges, eaque jura, quæ in illo vigent, et in epitome adjuncta diſtincte enarrantur, unicam actionum et negotiorum, ordinisque judiciarii, ac forenſis diſceptationis normam et regulam præbere, coli, obſervari et unice pro amuſſi, præcepto, formula omnium negotiorum et actuum, tam in foro, quam extra illud gerendorum et expediendorum haberi debent; ita et hac ratione, ut omnes actus hiſce juribus legibusque contrarii et non conformes irriti et invalidi cenſendi ſint et judicandi. Cum vero militares æque ac camerales cauſæ ad aliam adminiſtrationis partem ſpectent, de illis, illarumque legibus et ordinationibus alio Edicto ſpeciali ſubditos provinciarum recens acquiſitarum edocendos et erudiendos curabimus.

Hanc voluntatis Noſtræ ſignificationem omnibus et ſingulis, tam eccleſiaſticis quam ſæcularibus, clericis ac laicis terrarum Pruſſiæ et Pomeraniæ, a Regibus Poloniæ huc usque poſſeſſarum, nec non tractuum cis amnem Noteſium ſeu Notezam ſitorum, ad majorem Poloniam huc usque relatorum, dominii legitimi jure a Nobis vindicatorum incolis ſollemniter notam facimus et promulgamus, iisque, et ſupremo, quod conſtituimus judicio aulico et provinciali, nec non omnibus illi ſubordinatis et ſubordinandis judicis imperamus et præcipimus, ut ſe et ſuas actiones et muniorum ſuorum expeditionem huic normæ exactiſſime conforment, neque ullo ſub obtentu ſcopo Noſtro conſilioque, promtam hiſce ditionibus procurandi ſanctamque et integram juſtitiæ adminiſtrationem, renitantur atque reſiſtant. Qui vero hæc præſcripta nihilominus ſpernere, iis obluctari, vel refragari auſi fuerint, illi non modo ſucceníionem et indignationem Noſtram, ſed ſeveriſſimam quoque et rigoroſam animadverſionem incurrent, proterviamque ſuam gravi pœna expiabunt.

Cujus Noſtræ voluntatis notitiam quo omnes et ſinguli conſequantur, haſce litteras patentes, ſigillo Noſtro Regio et Auguſti Nominis ſubſcriptione munitas rite et ſollemniter promulgandas curavimus. Datæ Berolini die XXVIII. Septembris A. MDCCLXXII.

FRIDERICVS.



de Fürſt.

